
LIBRARY OF CONGRESS
0 003 041 382 9

DE

LYSIAE IUDICIALI SERMONE SENTENTIAE VETERUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS


UNA CUM THESIBUS A SE PROPOSITIS

DIE XV M. AUGUSTI A. MDCCCLXXIV HORA XII

PUBLICE DEFENDET

GEORGIUS CAREL

HAMBURGENSIS.



ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

PAULUS ROEDENBECK, STUD. PHIL.

ADOLFUS SEELHEIM, CAND. PHIL.

HALIS SAXONUM.

1874

MEMORIAE

ERNESTI FRATRIS

SACRUM.

PRAEFATIO.

De Lysiacarum orationum numero alii alia tradiderunt: pinax Studemundianus (cfr. Hermes II, 1867 p. 434 sqq.) XCC aut CC, Plutarchus et qui eum exscripsit, Photius CCCXXV (CCXXXIII—CCXXXV), Dionysius non minus CC, Caecilius CCXXXIII, Suidas plus CCC et spurias memorant fuisse. E tanto numero XXXI solae neque omnes genuinae hodie supersunt, circiter V enim sunt spuriae. Praeter illas XXXI orationes Dionysius trium maiora tradidit fragmenta. Deperditarum autem orationum reliquiae adhuc collectae demonstrant CLXIII circiter orationes Lysiacas a veteribus esse citatas. Quae omnes praeter V iudiciali generi sunt tribuendae. Citantur enim iudiciales circa CLVIII, panegyricae IV, deliberativa I. Hodie habemus iudiciales XXX, panegyricam I, deliberativam nullam integram, III fragmenta a Dionysio ex tribus orationum generibus citata. Magnam profecto videmur deperditis tot orationibus jacturam passi esse quaeque nullo modo possit compensari. At vero ut adumbratim certe perspiciamus, quae et quales sermonis Lysiaci non solum in deperditis sed omnino in iudicialibus orationibus appareant proprietates, rhetorum necesse est adhibeamus iudicia, quorum magnam esse hac in re auctoritatem per se patet.

Quare operae pretium putavimus collecta veterum de Lysia iudicia ita diiudicare, ut quid in universum de eius sermone iudiciali censuerint, Dionysio duce exponeremus. De panegyrico enim et deliberativo genere alio loco disputabimus.

Jam enumeremus veterum de Lysia iudicia, quae adhibenda censuimus.

I. Graecorum.

Uberius de Lysia disseruit Dionysius Halicarnassensis, cujus h. l. memorandi sunt *περὶ τῶν ἀρχαίων ῥητόρων ὑπομνηματισμοί* et *ἀρχαίων κρίσις* sive *τῶν παλαιῶν χαρακτῆρες*. Optimorum porro fontium numero habendi sunt *βίοι τῶν ι΄ ῥητόρων*, quorum auctor omnium primus canonem memorat, qui dicitur X oratorum. Scripsit nonnulla de Lysiae elocutione Demetrius Alexandrinus in libro *περὶ ἑρμηνείας*. Accedant Hermogenis *περὶ ἰδεῶν* praestantissimus liber et Dionysii Cassii Longini *περὶ ὕψους*.

II. Romanorum.

Primus citandus est Cicero, qui in Bruto conscribendo peripatetici libro usus est, fortasse ipsius Theophrasti *περὶ λέξεως*. Praeter Brutum huc pertinent libri de oratore, orator. Deinde Quintilianus rhetor permultis locis Lysiae singulas virtutes diiudicavit. Porro Favorinus apud Gellium N. A. II, 5.

De recentiorem studiis Lysiacis laudandi sunt Spengelii *συναγωγὴ τεχνῶν* et ab eodem editi rhetores graeci. Deinde Ludovici Hölscheri de Lysia liber, C. M. Frankenii Commentationes Lysiacae, Fr. Blassii liber de Attica eloquentia, postremo Scheibii Lysias iterum editus. Minora scripta suis locis citavi. —

CAPUT I.

De elocutione et sententiarum structura.

Orationis XII initio Lysias exponit, antequam trigintaviri in bonos saevire coepissent, neque se neque quemquam suorum causam dixisse. Rem Cephalo, Lysiae patri, fuisse magnam satis constat [1]. Itaque Lysiam non est probabile orationibus scribendis vacasse, priusquam a trigintaviris eius bona essent publicata [2]. Neque obest huic sententiae Aristoteles apud Cic. Brut. 48: Lysiam primo artem dicendi profiteri solitum fuisse, deinde quod Theodorus esset in arte subtilior, orationes eum scribere aliis coepisse, artem removisse. Nolumus autem Aristotelis verba sic accipi, quasi causidicus et rabula Lysias dicatur; neque enim notatum est, ex quo tempore orationes scripserit, aut eum mercede conductum scripsisse; verbis igitur his: — orationes eum scribere aliis coepisse, artem removisse — censemus significari Lysiam rebus adversis coactum, ut iudiciis se applicaret. Dolemus orationem *περὶ τῶν ἰδίων εὐεργεσιῶν* deperditam esse, qua Lysias sua de republica merita exposuerat. Breve saltem illius orationis argumentum invenimus apud personatum Plutarchum, qui tra-

1) cf. Lys. or. XII, 8, 16, 18 sq. — Plat. Phaedr. p. 227b. Rep. I. p. 327 sq. — Dionys. de Lys. 1: *συνεπαιδεύθη τοῖς ἐπιφανεστάτοις Ἀθηναίων.*

2) Qua de causa Polystrateam XX, cum Ol. 93, 2 videatur habita esse, a Lysia non scriptam veri simile est.

didit, quamvis publicata essent Lysiae bona, tamen de suo eum contulisse ad plebem iuvandam duo milia drachmum, ducenta scuta; conduxisse una cum Hermone trecentos mercenarios; incitasse Thrasydaeum hospitem, ut duo talenta in usum plebis praestaret. — Quibus meritis ita sibi civium animos devinciebat, ut pace facta inter nobiles et plebem Thrasybulus censeret Lysiam civitate ornandum esse. Quare rogabat in concione, ut Lysias civis fieret. Sed illa rogatio, cum ab omnibus esset probata, ab Archino impugnatur, quia ex legis praescripto senatui de rogatione fuerit deliberandum, antequam concioni proponeretur. Senatus autem tunc nondum erat constitutus. Quare cum Archinus victor discederet ex hac causa, Lysias civitate non donatus est, sed inquilinus Athenis vivebat, *ἀπελαϑεὶς τῆς πολιτείας*, ut dicit Plutarchus.

Uberius hanc rem disseruimus, quia exinde decernere possumus, quas orationes iudiciales Lysias ipse habuerit, quas aliis scripserit. Etenim cum inquilinus esset, neque magistratu ei licebat fungi neque concioni interesse neque adeo deliberare de re publica. In iudiciis, si quid ei agendum erat, non licebat ipsi agere, sed civi, qui ex legis praescripto *προστάτης* ei erat constitutus. Iudicii praeside utebatur praetore peregrino. Ceterum in *γραφῇ φόνου* etiam inquilinis licebat agere ipsis. — Inde concludimus orationem XII solam a Lysia ipso habitam esse. Testantur hoc etiam libri manuscripti: *κατ᾽ Ἐρατοσϑένους, ὃν αὐτὸς εἶπε Λυσίας.* Reliquarum orationum inscriptiones carent his verbis, itaque aliis has orationes scripsit.

Inde perspicimus Lysiam aequalibus profuisse non publica eloquentia in concione, sed privata, ut ita dicamus, coram iudicibus. Illud potissimum orationum genus ei conveniebat, quo auditorum animos non tam moveret ingenti vi et ardore, quam mitioribus affectibus concitandis alliceret. Etiam oratione in Eratosthe-

nem XII, quae praeter ceteras apta erat ad gravissimos affectus movendos, tanta temperantia excellit orator, ut nobis quidem persuasum sit eum in illis permovendis de industria haud magno opere elaborasse. Convenit illi temperantiae etiam tractandi ratio, qua miram in dicendo gratiam auditores vel invitos conciliantem assecutus est. Fuit enim perquam aptus, non qui ex tempore dicendo summum aequipararet oratorem, aut inexpectatis verbis auditores raperet, sed qui explorata nativa specie et forma res simplici sermone explicaret et institueret auditores ad quiete et attente auscultandum. Illa igitur ingenii comparatione putamus et vitia contineri et virtutes, quas veteres laudaverunt, iam Dionysio duce perlustrandas.

Itaque agendum est: I de elocutione, II de sententiarum structura, III de ethopoeia.

De elocutione.

De elocutione statuunt veteres [3]) haec.

Admodum pura est Lysiae oratio Atticique sermonis optima norma, non illi similis pristinae, qua Plato et Thucydides, sed eius, qua Andocides et Critias usi sunt [4]). Hoc ipsum Lysiae orationes docent [5]). Posteriorum nemo sermonis puritate Lysiam superavit; ne imitatio quidem bene successit aliis oratoribus excepto uno Isocrate. Iam qualis est ea puritas? Infra c. 13 explicat Dionysius positam eam esse in nominum et verborum nativo et genuino usu; significari a Lysia unamquamque rem nomine mere Graeco et Attico; nomina cum verbis coniungi propria et genuina notione usurpatis. Alteram vir-

---

3) Dion. de Lys. 2. Hermog. de form. c. 3.

4) Andocides carebat urbanitate Attica, Critias quamvis Philostrato teste neque intemperanter neque imbecillius atticissaret, tamen in oratione apud Hen. Hell. II, 3, 24—34 sophisticum quendam fucum ostendit.

5) Assentiuntur Dionysio Photius, Suidas, anonym. vit. Isaei.

tutem, quam multi appetierint nec quisquam Lysia elegantius expediverit, simplicitatem laudat Dionysius, qua sententias sit elocutus, verbis et nominibus propria et communi et maxime usitata notione adhibitis. Non enim ex figurata oratione nitorem quendam studet adsciscere, sed propriis et vulgaribus verbis utitur. Neque artificioso apparatu neque poetico ornatu adhibito formosam quandam et nobilem speciem affectat. Hactenus abhorret a prioribus, qui ad poeticam dictionem vocesque obscuras et obsoletas confugerent, auditorum admirationem et plausum istis artibus eliciendum rati. In primis Gorgiam insolenti et tumida verborum compositione excelluisse et Athenienses ad tropicam et poeticam dictionem instituisse tradiderunt veteres. Praeter Gorgiam Thucydides grandi et ornatiore sermone usus est. Lysias igitur omnes artes abiecit neque quidquam insolentius aut audacius elocutus est [6]. Cum tamen popularium sermonem plane videatur secutus esse, mirum quantum ab eo differt. Orationes igitur optime componit et singularem quandam harmoniam [7] praestat lectori, qua verba grata et dulcia reddit neque tamen inflat neque ornatu obruit. Etiam hac virtute Isocrates Lysiam prospero successu aequiparare studuit. Tertiam oratoris virtutem laudat Dionysius [8] *σαφήνειαν* sive perspicuitatem. Hermogenes: *σαφήνεια λέγεται, ὅταν μήτε λέξεσι ξέναις χρώμεϑα μήτε ὑπερβατοῖς μήτε διανοίαις.* Haec in verbis elucet et rebus tractandis. Est enim perspicuitas quaedam non multis nota, quam neque apud Thucydidem neque apud Demosthenem inveneris. Illorum enim si scripta plane volumus perspicere, commen-

---

6) Cic. or. 9; Brut. 9, 16. — Quintil. 10, 1, 78.

7) Dion. Is. 4 de Dem. dic. vi 2, 4. — Quintil. 9, 4, 17; 10, 1, 75. Dion. Chrysost. or. 18.

8) Dion. Lys. 4; rhet. § 18; Dion. 6; de Dem. dic. vi 13. — Quint. 8, 2, 22; 12, 10, 21. — Hermog. de form. III, p. 202, 380. Photius, alii.

tariis et explicationibus opus est, quia multa subobscura et grandiora sunt, quam quae simplices homines statim possint comprehendere. Id vero Lysiam legenti non facile accidit, quia illius dictio perspicua et clara est adeo, ut simplicissimus quisque eam plane intellegat nullis adhibitis interpretamentis. Quae perspicuitas merito despiceretur neque digna esset imitatione, si efficeretur sententiarum et verborum penuria. Atqui callet Lysias lingua Attica, callet maxime hac re, quod propriis nominibus quasvis describit notiones et ex locupletissimo thesauro sermonis depromit suis locis apta. In summa illa perspicuitate breviter admodum eloquitur sententias; ea autem in parte summa elucet oratoris ars, quod quamvis breviter tamen nullum improprie dictum inveneris. Difficillimum enim ducimus brevitatem cum perspicuitate apte coniungi. Superavit autem Lysias illam difficultatem ita scribendo, ut non verbis rem, sed verba rei accommodaret; et elegantem effecit sermonem non abiecto sed usurpato vulgari sermone. Illam virtutem ne Isocrates quidem adeptus est, ut suppressis non necessariis verbis breves efficeret sententias. Largiore enim verborum copia profluunt sententiae Isocrateae [9]). Neque ut brevis in elocutione ita longus est in narratione. Expositio enim sententiis copiosa fit et conglobata [10]) et tantum abest, ut superfluam ostentet verbositatem, ut saepe necessaria videatur omittere; neque vero hac re apparet oratoris mediocris inventio, quam putes, sed tempus actori parce attributum. Quare adeo brevis est, ut sufficiat magno opere viro privato rem suam simpliciter dissertaturo, oratori autem ingenii et artis splendorem ostentaturo minus sufficere videatur [11]). De brevitate cum Dionysio consentit Favorinus,

9) Dionys. Lys. 5.

10) Rectissime Photius: *τὸ μὴ καθ' ἓν μηκύνειν διατρίβοντα τὸν λόγον τῆς τοῦ Λυσίου ἐστὶν ἀκριβείας.* Infra laudat *τὸ εὐπαγὲς τῶν λόγων.*

11) Idem censuit Dion. vett. cens. V. 1.

cuius apud Gellium exstant verba haecce [12]): si ex Platonis oratione verbum aliquod demas mutesve atque id commodissime facias, de elegantia tamen detraxeris, si ex Lysiae, de sententia [13]).

Dionysius igitur laudat Lysiacae elocutionis puritatem, simplicitatem, perspicuitatem, brevitatem. Egregia profecto et praeclara laus. At vero vel paucas eas perlegentes, quas nos hodie habemus orationes, invenimus quae Dionysium demonstrent nimia laude extulisse Lysiae virtutes. Ea iam nunc in diiudicandis singulis enumeremus.

Constat igitur Lysiam recentiore Attico sermone locutum esse; non enim adhibuit prisca verba ita, ut sermonis dicere possis proprietates. Ubi vero singula invenimus, quae improbemus, videndum est, ne malos libros secuti, qui tales nugas exhibeant, textum fabricemur erroribus squalentem. Quare rectam emendandi rationem Scheibius [14]) eam tenuit, ut in formis verborum Lysiam, quo neminem magis Attice locutum artium scriptores et grammatici consentiunt omnes, restitueret Atticum, prisca verba, quamvis saepe in libro Palatino [15]) legantur, tolleret exceptis spuriis orationibus et locis. Quod vero Frohbergerus [16]) Sicula lingua Lysiam putat locutum esse, nimis sagaciter odoratus est Lysiacam proprietatem ex uno exemplo nulla satis auctoritate munito.

---

12) N. A. II, 5. — Quintil. 8, 3, 11.

13) Neque alia videtur statuisse Hermogen. de form. II, 410: Lysiae non esse *περιβολήν*, circumiectam orationem, i. e. singularum sententiarum expositionem raro et parce ornari rhetoricis additamentis non necessariis. Simillimus Lysiae est Isaeus, qui neque Critiae granditatem (qui dicebatur *πολυγνώμων*, *βραχυλογῶν*, *σεμνολογῶν*) neque Andocidis verbositatem secutus est, sed novum quoddam dicendi genus excoluit, quod nominatur subtile, tenue, ieiunum. Cic. opt. gen. or. 3. — Brut. 9. — Quint. 10, 1, 78.

14) Praef. ed. II pag. VI. — Pertz, Quaest. Lys. c. II.

15) De libri Palatini praestantia Sauppe ep. crit. ad God. Hermannum (Lips. 1841) subtiliter disseruit.

16) Or. XXII, 11: *ἐλεύσεσθαι.*

Pertinet porro ad sermonis puritatem, ut nomina et verba usurpet orator eis casibus et notionibus, quibus tunc Attici homines soliti erant uti. Hactenus non nimia laude purum Lysiae sermonem Dionysius ornavit. Etenim paene nil videtur inveniri a simplici sermone Attico alienum. Perpauca sunt, quae citemus, eaque eiusmodi, ut ex ipsis locis appareat, cur insolitis verbis orator usus sit.

Or. XII, 14. narrat Lysias, cum in summo versaretur periculo, raptim se implorasse Damnippi auxilium verbis hisce: *πρόθυμον παράσχου τὴν σαυτοῦ δύναμιν εἰς τὴν ἐμὴν σωτηρίαν.* Perspicunm est quod dixit *δύναμιν πρόθυμον.* Longius dixisset *πρόθυμον παράσχου σαυτὸν κατὰ τὴν σαυτοῦ δύναμιν εἰς τὴν ἐμὴν σωτηρίαν.* Sed qui in summo periculo versantur, non curant ut aptius sed ut celerius verba eloquantur. Tali igitur elocutione Lysias impatientem morae angorem describit. Item depingit maritum ancillae minantem I. 26: *οὐκ ἐγώ σε ἀποκτενῶ, ἀλλ' ὁ τῆς πόλεως νόμος.* Haec enim verba a Lysia de industria adhibita sunt, quibus mariti et heri serveram gravitatem apte exprimeret.

Addas huic loco alterum XXI, 8: *οὕτω παρεσκευασμένην τριήρη πόσα οἴεσθε ἀνηλωκέναι χρήματα ἢ πόσα τοὺς πολεμίους εἰργάσθαι κακά; — τριήρη* dicit *ἀνηλωκέναι χρήματα.* Sed vix insolitum dictum licet statuere, quoniam verbum *ἀναλίσκειν* saepe de rebus, quae magni fiunt, ita usurpatur. Philocr. 29, 6: *ἑώρων τὴν ὑμετέραν ὀργὴν τιμωρεῖσθαι βουλομένην* facili mutatione potest revocari ad simplicitatem. Offendimus in *ὀργῇ τιμωρεῖσθαι βουλομένῃ*, quo in *βουλομένων* mutato non audacter Lysias locutus est, cum *βουλομένων* ad *ὑμετέραν ὀργήν* referatur solita constructione.

Or. XXXII, 23. *ἡγούμενος δεῖν τὴν ἑαυτοῦ πονηρίαν κληρονόμον εἶναι τῶν τοῦ τεθνεῶντος χρημάτων.* Eleganter dicit *πονηρίαν κληρονόμον εἶναι τ. τ. τεθν. χρ.*

Non immerito haec dictio audacior habetur, sed clara est et perspicua. Quo in genere quae sunt memoranda infra uberius explicabimus.

Iam si ad singula verba diiudicanda accedimus, tria genera sunt nominum et verborum, quae simplici orationi non conveniunt: 1. glossae, quae dicuntur, 2. derivata, 3. composita.

Γλῶτται igitur nominantur obsoleta et prisca verba, quorum vis propria non iam satis constat. Alterum genus, quod *πεποιημένα* complectitur, saepe derivata nomina et verba proponit, quae aut plane nova apparent aut notione usurpantur adhuc plane inusitata. Tertium denique *διπλᾶ* vel *σύνθετα* exhibet, composita nomina et verba. Illorum quae sunt exempla, ea hic citabimus.

Quod igitur ad *γλώττας* pertinet autumamus Lysiam neque priscis neque insolenter usurpatis nominibus usum esse. Ne gravissimis quidem in causis insolentior est dictio, sed eodem tenore temperata profluit. Hinc etiam elucet Lysias aptissime comparatus ad lites diiudicandas, quod nusquam desideramus eius moderatam sobrietatem. Unde non miramur prisca verba a Lysia plane remota fuisse, exceptis quibusdam legibus, quas actores apud Lysiam citant. Sed occurrunt aliquoties in orationibus Lysiacis vocabula ex poetico sermone assumpta, unde altior quodam modo fit elocutio. Ex quo genere exempla citabimus in translationibus memorandis.

Πεποιημένα rarius usurpavit, ita tamen ut quotidiani sermonis copias videatur auxisse, in primis nominibus verbalibus in -*ης*, quorum citamus haecce:

διαιτητής, frgmt.; *ἐπιθυμητής*, XII, 90; *ἐπιτιμητής*, frgmt.; *κηδεστής*, saepe usurpatum; *κριτής*, passim, IV, 3; *φυλέτης*, XX, 2, XXI, 6.; *μηνυτής*, XII, 32, VI, 43, XIII, 8; *ἀνδραποδιστής*, X, 10; *νομοθέτης*, XIV, 4, saepe usurpatum; *κακοδαιμονιστής*, frg.; *νουμηνιαστής*, frg.; *δικαστής*, passim.; *ἀθλητής*, XIX, 63; *πελταστής*, XIX, 22; *ἐπιμελητής*, VII, 29; *χρήστης*, XXXII, 29;

πωλητής, XXIX, 3; *ὑβριστής*, XXIV, 15; *παραφρυκτωρεύεσθαι*, XIII, 67.

Etiam in compositorum nominum et verbornm usu adeo simplex est orator, ut in universum iudicantes statuamus compositis eum usum esse, quae a rerum nativa denominatione et descriptione profiscuntur. Pleraque horum compositorum apud omnes Atticos scriptores inveniuntur, nova tamen Lysias aliqua finxit non audaciore, quod nos censeamus, conatu. Ex compositis igitur citamus haecce:

ἀνδραφόνος, de industria positum, X, 7., XIII, 81; *ἀνήκεστος συμφορά*, IV, 20; *ἀπαραίτητος δαίμων*, II, 70; *ἀποδιοπομπεῖσθαι τὴν πόλιν*, VI, 53; *ἀρχαιόπλουτος*, XIX, 49; *βοηλάτης*, VII, 19; *βουκεφάλιον*, Lys. apud Athen. V. p. 210a; *γηροτροφεῖν*, XIII, 45; *δύσερως*, IV, 8; *ὀξύχειρ*, IV, 8; *μητραλοίας* et *πατραλοίας*, X, 8; *μισοπονηρεῖν*, XXX, 35; *χερνίπτεσθαι*, VI, 52; *ὀβολοστατεῖν*, frg.; *περικαταρρεῖν*, XXX, 22; *συμφορὰ ἐπίκληρος*, XIV, 14; *φιλοψυχεῖν ὑπὲρ ἀρετῆς*, II, 25; composita nominum: *φίλος*, *λόγος*, *στρατός*, *τριηρής*, *ναῦς*, *δῆμος* cet. passim; *φρυγανοφόρος*; *χερνίβιος*, frg.; *χέρνιψ*, VI, 52; *ψηφοπαικτεῖν*, frg.; *πυρκαϊά*, VII, 24 cet.

Addamus h. l. observationes de verborum positione, quoniam diligenti et polito oratori convenit, quidquid ad orationem pertinet, aequabiliter tractare. Oportet igitur eum vitare et vocalium concursiones, quae vastam reddunt atque hiantem orationem, et eiusdem litterae initio vel fine verborum nimiam assiduitatem. Hiatum quidem Lysias non vitavit in genuinis orationibus; itaque or. VIII non Lysias scripsit, sed rhetor Isocrateus [17]). Quod ad eiusdem litterae assiduitatem attinet, plerumque non plus III verba invenimus, quae eadem prima littera utantur, excepto loco XXXIII, 7: *ἀπόρθητοι καὶ ἀτείχιστοι καὶ ἀστασίαστοι καὶ ἀήττητοι*. Neque multo saepius tria

17) cfr. Benseler, de hiatu in orr. Att. Friberg. 1841.

verba posuit Lysias, quae eandem primam haberent litteram. XII, 37: *δίκην δοῦναι δύναιντ' ἄν.* Ibid. 82: *τοὺς οὐδὲν ἀδικοῦντας ἀκρίτους ἀπέκτειναν.* Ibid. 97: *πολλαχοῦ κινδυνεύσαντες καὶ εἰς πολλὰς πόλεις πλανηθέντες καὶ πανταχόθεν ἐκκηρυττόμενοι, οἱ μὲν ἐν πολεμίᾳ τῇ πατρίδι τοὺςπαῖδας καταλιπόντες κτέ.* XIII, 86: *ἀπαγωγὴν ἀπάγειν ἀναγκάζοντες.* Or. in Ev. 3: *ὧν εἷς οὗτος.* Erat. 37: *ὑπὲρ ἑνὸς ἑκάστου.* Multo saepius in fine verborum easdem invenimus litteras, persaepe — *ων*, praesertim cum in narrando Lysias passim genetivis absolutis utatur. Erat. 84: *νυνὶ οὐχ ἑτέρων ὄντων τῶν δικαστῶν ἀλλ' αὐτῶν τῶν κακῶς πεπονθότων.* Agor. 8: *τῶν τειχῶν τῶν μακρῶν.* Erat. 59: *τῶν ἱερῶν ἐμποδὼν ὄντων.* Agor. 63: *ὡς πολλὰ καὶ δεινὰ μετὰ ταῦτα.* Simon. 2: *καὶ παρασκευαὶ καὶ τύχαι ἐνίοτε τοιαῦται γίγνονται.*

Excellit porro poetica et alta dictio translationum usu, ad quas confugere solent illi oratores, quibus humilior videtur quae non ultra nativa et propria vocabula assurgat elocutio. Magnam vero Lysias ostendit abstinentiam, nisi quod eas translationes usurpat, quae quotidiano linguae usu iam antiquitus traditae erant aut rebus inter se comparatis nascuntur. Non igitur linguam conformavit Lysias ad usum forensem, sed illam ipsam secutus est magistram. Inde perspicuitatem excoluit, quae auditores devinciret oratori facile intellegentes quidquid diceret. Quae igitur translationes insolentiores sunt eae ostendunt talem orationem spuriam esse. Usus enim modicus translationum et poeticae dictionis primo conspectu prodit genuinas, translationes autem insipidae et inflatae arguunt vanam rhetorum eloquentiam.

Velut in genuina Or. I. 47: *οἷα τὰ ἆθλα πρόκειται τῶν τοιούτων ἁμαρτημάτων* (*ὁρῶντες*). In universum verba *ἔχειν, τιθέναι, παρέχειν, εἶναι, ποιεῖν, διακεῖσθαι, χρῆσθαι, ἱκέσθαι* passim adhibita in simplici translatione.

Or. II. 10: *σύμμαχον ἔχειν τὸ δίκαιον.* — 15. *κινδύνοις στεφανοῦν τὴν πόλιν.* — 17: *αὐτόχθονες τὴν αὐτὴν ἐκέκτηντο καὶ μητέρα καὶ πατρίδα.* — 19: *βασιλεύεσθαι ὑπὸ τοῦ νόμου.* — 20: *ἀείμνηστα τρόπαια.* — 23: *νομίζοντες τὸν εὐκλεᾶ θάνατον ἀθάνατον καταλείπειν λόγον.* — 61: *μιμεῖσθαι καινοῖς κινδύνοις τὴν παλαιὰν τῶν προγόνων ἀρετήν.* — 62: *συμμάχους ἔχοντες ὅρκους καὶ συνθήκας.* — 64: *ἀδελφὰ τὰ βουλεύματα τοῖς ἔργοις.* — 66: *πατρίδα τὴν ἀρετὴν ἡγησάμενοι.* — 79: *ἀγήρατοι μνῆμαι.*

Or. III. 25: *ἀπομάχεσθαι,* litem pugna disceptare. — 9: *πονηρίᾳ πρέποντα πράττειν.*

Or. IV. 9: *εἰς τοῦτο βαρυδαιμονίας ἥκει.*

Or. VI. 9: *καθήρηται ὁ νόμος* — 20: *τὸν θάνατον τέλος ἐπιτιθέναι.* — 23: *ἀφανὴς σωτηρία.* — 25: *ἐξ ὅσου Ἀθηναῖοι ἀείμνηστοί εἰσιν.* — 39: *τὰ ἁμαρτήματα ἐξαλείφειν.* — 49: *πόλις ἐν πολλῷ σάλῳ καὶ κινδύνῳ γιγνομένη.* Oratio est subdita.

Item Orat. VII. 14: *πολλὰς ἐμαυτῷ ζημίας γενομένας ἀποφήναιμι.* — Genuina.

Or. VIII. 18: *ποθεῖν.* In orationibus IX. et X. genuinis praebet IX. 15: *ὅρκους παραβαίνειν.* — 18: *βιαίως καὶ παρανόμως διαθεῖναι.* — *διαβολὰς τοῖς αὐτῶν τρόποις οἰκείας καὶ συνήθεις.*

Or. X. 8: *πατραλοίας, μητραλοίας, ἡ τεκοῦσα, ὁ φύσας,* de industria haec vocabula scripsit. — 16: *ποδοκάκκη.* — 17: *δρασκάζειν,* locus ex legg. — 20: *σιδηροῦς.* — 28: *σύμφυτος δειλία.* — 29: *νεανίαι τὰς ὄψεις.*

Or. XI. est epitome orationis X. In genuina XII, 5: *καθαρὰν ποιῆσαι τὴν πόλιν τῶν ἀδικούντων.* — 37: *δίκην δοῦναι δύναιντ' ἄν.* — 98: *ἐρημία τῶν ἐπικουρησάτων.*

Item genuinae sunt or. XIII. 5: *πράγματα ἀσθενέστερα.* 43: *ἀνιῶμαι.* — 45: *αἰσχίστῳ καὶ ἀκλεεστάτῳ ὀλέθρῳ ὄλλυσθαι.* — 47: *ἀγαθοὶ ἄνδρες,* ut Soph. Ant. 31: *τὸν ἀγαθὸν Κρέοντα.* — 63: *ἡ δὲ τύχη καὶ ὁ δαίμων περιποίησεν.* — 77: *μιαρός.*

Or. XIV, 38: *ὑπερβολὴν ποιησάμενος τῆς πρότερον πονηρίας.*

Or. XVI, 15: *σεμνὸς Στειριεύς.*

Or. XVIII, 5: *ταῖς τύχαις εἴκειν.* — 25: *αἱ ἀρεταὶ καὶ αἱ συμφοραὶ τῆς ἡμετέρας ἐρημίας αἴτιαι γεγόνασιν.*

Or. XIX, 24: *συμπεσόντων τοιούτων καιρῶν.* — 61: *χρόνος σαφέστατος τοῦ ἀληθοῦς ἔλεγχος.*

Or. XXI, 4: *ὀνείδη περιάπτειν.* — 12: *διαδύεσθαι* = subterfugere.

Or. XXII, 11: *περιφανέστερα τεκμήρια.*

Or. XXIV, 14: *πιστεύετε μᾶλλον τοῖς ὀφθαλμοῖς ἢ τοῖς λόγοις.* — 17: *οἱ πένητες ὑπὸ τῆς ἀπορίας σωφρονεῖν ἀναγκάζονται.* — 23: *δειλαῖος.*

Or. XXV, 30: *ὑποψίαν πρός ἀλλήλους ποιεῖν.*

Or. XXVI, 3: *διακλέπτειν τῇ ἀπολογίᾳ τὴν κατηγορίαν.* — 4: *ἀειμνηστότερα.* 8: *καθαρὸς τὰς χεῖρας.* — 17: *βάσανον ἑκατέρας τῆς πολιτείας ἱκανὴν ἔχουσιν.*

Or. XXVIII, 6: *ἐκκόπτειν τὰς συκοφαντίας,* Ergoclis verba. — 3: *πιεζόμενοι ταῖς εἰσφοραῖς.* — Genuina.

Or. XXIX, 11: *ἀλλὰ ἆθλα ἀντὶ τῆς ἑαυτοῦ πονηρίας (λάβοι) τὴν ὑπ' ἐκεῖνου καταλειφθεῖσαν οὐσίαν.*

Or. XXXI, 6: *μὴ τὴν πόλιν ἀλλὰ τὴν οὐσίαν πατρίδα ἡγεῖσθαι.*

Or. XXXII, 13: *ἄθλιος.* — 23: *πονηρία κληρονόμος.*

Or. XXXIII, 7: *ἀθάνατος ἐλευθερία. ἀπόρθητος καὶ ἀστασίαστος καὶ ἀήττητος καὶ ἀτείχιστος.* — *καιομένη ἡ Ἑλλάς.*

E fragmentis: *κλαίω τὸν ἀμάχητον καὶ ἀναυμάχητον ὄλεθρον* citatur a Dionysio de Lysia cap. XIV med. In alio

Frgm.: *πληγὰς ἐντείνειν.* — *μείζους συμφορὰς ἢ τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις προσβάλλοντες.* —

Solebant iidem oratores, quo vehementius auditores commoverent, nomina vel eadem vel synonyma ultra necessitatem cumulare. Notum est Demosthenem ad exaggerationem saepenumero plura synonyma adhi-

buisse. Lysiae vero magna hac in re apparet temperantia; ubi enim synonymis usus est, raro sua repetit neque omnino saepe eiusmodi repetitiones protulit, ut or. XXI: *ἀπολογία δωροδοκίας* (§. 24), *οὐδεπώποτ' ἠλέησα οὐδ' ἐδάκρυσα — καταλείψω.* Simpliciore forma synonyma posuit Agor (XIII), 63: *οἱ δὲ αὐτῶν — περιγενόμενοι καὶ σωθέντες — ἡ δὲ τύχη καὶ ὁ δαίμων περιεποίησεν.* — Latius patet apud Lysiam simplicis repetionis usus, ut eadem nomina vel verba aut iuxta apponantur aut alterum alteri opponatur. — Apparet autem hac dicendi figura, aliquibus Lysiae locis plura verba abunde repeti potuisse, et inveniuntur repetita vel in optimis libris manuscriptis. Tamen fuerunt, qui illas repetitiones eiiciendas statuerent, scribarum temeritate Lysiae brevitatem laesam putantes, temere quidem. Docuit enim Förtschius [18]) simplices si eiicere velimus repetitiones, plurimarum orationum locos non paucos mutandos esse; immeritoque Lysiaci sermonis proprietatem tolli. Velut XIV, 6: bis *πολλῶν.* — XXVIII, 2: *καταλυομένας καὶ ἐκ πολλῶν ὀλίγας γενομένας.* — XI, 44: *δόξειν εἶναι.* — 46: *συμφοράς — συμφοράν.* — XIII, 83: *οὐ γὰρ οἶμαι — ἐγώ μὲν οἶμαι.* — XVIII, 8: *εὖνοι ὄντες τῷ πλήθει* et *κακόνοι ὄντες τῷ πλήθει.* — XXVIII, 3: *μεγάλων ὄντων — μεγάλων οὐσῶν.* — XXVI, 18: bis *τοὺς συλληφθέντας* — XXX, 9: *οἶμαι — νομίζω.* XXVII, 14: *ἔτι δὲ* bis. — XXIII, 11: *ἐλθούσης μὲν — ἐλθούσης δὲ.* — XIII, 1: *προσήκει* bis. — 88: *ὅρκοι καὶ συνθῆκαι* bis. — 93: *νυνί* bis — *οὔτε ὅσιον οὔτε νόμιμον.* — XII, 19: *ἔχοντες* bis. — 94: *ἐνθυμηθέντες* bis. — VIII, 1: *πάρεισι* bis. — bona Ar. 9: *ἐστερημένοι* bis. — VI, 28: *ἔφευγε* bis. — XIX, 48: *τοίνυν* bis. — XXXI, 32: *τότε* bis.

Exceptis igitur talibus locis in universum constat summae brevitati Lysiam studuisse. Ac profecto illud

---

18) Commentatio critica de Lys. et Demosth. (praef. ed. Lys.)

magno opere est admirandum, quod et verbositatem vitavit neque nimiam brevitatem secutus in obscuram et imperspicuam orationem incidit. Brevitatis h. l. uno sed egregio liceat nobis exemplo perfungi, quod citavit Franz[19]) III, 7: *ὥστε ἐξευρὼν οὗ ἐδειπνοῦμεν ἀτοπώτατον πρᾶγμα καὶ ἀπιστότατον ἐποίησεν, εἰ μή τις εἰδείη τὴν τούτου μανίαν.* Quam sententiam alius scriptor pluribus verbis elocutus esset. Addere licet Lysiae ad Damnippum verba: *πρόθυμον παράσχου τὴν σεαυτοῦ δύναμιν εἰς τὴν ἐμὴν σωτηρίαν.* Eiusdem or. VII, §§. 27—31.

De sententiis.

Absoluta de verborum usu narratione restat ut de sententiis agamus, quarum structura Lysias et a prioribus et a posterioribus magno opere differt. Non enim una eademque construendi ratio est omnibus orationibus, in privatis et in publicis causis, sed differunt ut singulorum verborum usu, ita sententiarum compositione privatae a publicis. Aliam argumentationi, aliam narrationi orator censuit aptissimam.[20])

In universum assentimur Dionysio censenti[21]) densum et pressum esse Lysiam in periodis, sententias in compendium contractas rotunde eloqui, ad causas agendas et quasvis lites illum sermonem commodum esse Lysiaeque initia postea a Demosthene ad egregiam subtilitatem exculta esse, non simpliciter et parce (*εὐτελῶς καὶ ἀφελῶς*) sed curiosius et difficilius (*περιέργως καὶ*

---

19) *προοίμιον* p. 31.

20) Errat Dionys. Din. 6: *ὁ μὲν Λυσίας ἔν τε τοῖς ἰδίοις καὶ τοῖς δημοσίοις ἀγῶσιν αὐτὸς αὐτῷ ὁμολογούμενός ἐστιν εἴς τε τὸν λεπτικὸν τρόπον καὶ τὴν τῶν ὀνομάτων σαφήνειαν καὶ σύνθεσιν.* supra: *τῶν μὲν ἄλλων ῥητόρων μεγίστη γνῶσις ἡ ὁμοείδεια τῶν λόγων.*

21) De Lys. 6: *ἡ συστρέφουσα τὰ νοήματα καὶ στρογγύλως ἐκφέρουσα λέξις, οἰκεία πάνυ καὶ ἀναγκαία τοῖς δικανικοῖς λόγοις.* — De Isocr. 11. — Dem. dic. vi. 3.

πικρῶς). — Excellit Lysias etiam in hac re praeter ceteros singulari virtute, simplicitate et temperantia. Agamus igitur primum de publicarum, deinde de privatarum orationum periodis.

1. Orationes in publicis causis habitae ut insignes sunt elocutione passim altiore, ita periodis utuntur, quae certis numeris videntur effictae esse. Nec tamen invenimus numeros rhetorica arte effectos ut in erotico apud Platon. Phaedr. p. 230e—234c: *ἐκεῖνοι γαρ ἀγαπήσουσι | καὶ ἀκολουθήσουσι | καὶ ἐπὶ τὰς θύρας ἥξουσι || καὶ μάλιστα ἡσθήσονται | καὶ οὐκ ἐλαχίστην χάριν εἴσονται | καὶ πολλὰ ἀγαθὰ αὐτοῖς εὔξονται ||*; neque insolentiorem ornatum ut in Olympiaco: *οἰκοῦντες ἀπόρθητοι καὶ ἀτείχιστοι καὶ ἀστασίαστοι καὶ ἀήττητοι* cet. Talia enim dicta non conveniunt actoris simplicitati. Aliud vero numerorum genus secutus est, quo singula membra conformavit ad totius periodi ambitum et habitum. Qua formae comparatione efficitur structura certa, cuius ratio adeo est perspicua, ut altero membro recitato plerumque possimus colligere, quale membrum sequi debeat. Plures autem periodi cohaerentes inter se maiorem efficiunt sententiarum coniunctionem absolutam i. e. neque praecedenti adiunctam neque sequenti nixam. Haec est rotunditatis indoles, ut omnia, quae ad rem exponendam pertinent, breviter et perspicue conglobentur. — Differt hac re maxime a Lysia Isocrates. Illius enim in orationibus periodus ex periodo deducitur, ut non appareant, cohaerentibus in globum coniunctis, plures et maiores sententiarum ordines, sed unus uno et continuo tenore ab initio orationis ad finem decurrens totam complectatur orationem. — Periodorum igitur magna est perspicuitas et ad eandem certam normam omnes sententiae tendunt. Haec simplex et inornata ratio Lysiae docenti convenit, neque interrumpitur orationis continuus et placidus cursus sententiis interiectis, ut in plerisque Demosthenis usu venit. Illarum orationum in numero, quae privatis antecellunt,

habemus praecipue XXVII. sqq. quibus in orationibus accusationem granditas quaedam et vis dicendi, Lysiaca tamen iuvat, contra aliae ad defensionem spectantes, cum mitiores excitentur affectus, rarius ad altam dictionem assurgunt. Praeter ceteras ob sententiarum elegantem concinnitatem laudandae sunt orationes:

In Philocratem XXIX, 1—5, 7, 9, 11.
In Ergocl XXVIII, 1, 2, 3, 4, 7, 12.
In Nicomach XXX, 26—27.
In Philonem XXXI, 7, 8, 9, 17, 18.
In Epicratem XXVII, 5, 13, 16.

Memoremus h. l. Demetrii subtilem observationem, monentis in maiore periodo formanda videndum esse, ut extremum membrum cetera syllabarum numero superet et quasi complectatur. Hoc praeceptum Lysias diligenter secutus est. Clausula periodi per unum gravius vel plura graviora verba significanda est,[22]) ut expedite oratio incedat et auditor intellegat periodum ad finem procedere. Ita XXIX, § 1 sub finem, *ἀπαλλάξαι τοὺς κατηγόρους*. § 2. fin. *παρὰ τοῖς ἐχθροῖς εὑρεθήσεται*. § 4. *μᾶλλον τούτου πιστεῦσαι*. § 5. *συγγνώμην ἔχειν*. In universum iudicamus Lysiam magna subtilitate quae convenirent perspexisse.

Memoranda est etiam or. XXV, quae immerito inscribitur *δήμου καταλύσεως ἀπολογία*. Luculenta est honorem petentis defensio, quae quamquam ad privatam causam pertinet, tamen in numero publicarum habenda est, quia graviter rei publicae male administratae accusatus verba facit. Mutila est oratio libri Palatini defectu; sed non multa videntur perisse, certe maximam defensionis partem constat servatam esse. Illius igitur praestantissimae orationis laudamus §§ 2, 6, 11, 18.

---

22) Exstat Dionysii de clausula Thucydidea I, 1 iudicium (de compos. p. 168) quo loco *τῶν προγεγενημένων* censet non esse *βάσιν εὔγραμμον καὶ περιφερῆ*, periodum non finitam videri.

Agendum est denique de oratione, quae in causa privata habita tamen summisso fori stilo non est scripta, sed ornatiore et eo, qui pluribus viris doctis videatur non esse Lysiacus. Sed orationis XIV et pura est elocutio et periodi plerumque Lysiaca construendi ratione bipartitae et sermonis eaedem apparent proprietates, quas in aliis orationibus invenimus a Lysia scriptis. Nos quidem putamus Lysiam adductum ab accusatore nobili, qui Alcibiadis odio flagrabat, altiore et ornatiore sermone usum esse. Orationis periodi tam eleganter sunt structae, ut paene totam orationem possis citare ad illarum formam illustrandam. Quare unum tantum locum sed egregium memorabimus, in Alcib. 41—42. Et haec quidem de sententiarum structura, qualis in orationibus apparet publicas causas tractantibus.

2. Non minus in privatis Lysias propriam secutus est sententiarum structuram. In illis potissimum persequendis, quae singuli coram iudicibus dicunt in privata sua causa, apparet ἡ συστρέφουσα τὰ νοήματα καὶ στρογγύλως ἐκφέρουσα λέξις, quam Dionysius (de Lys. 6) admodum laudibus extollit. Neque immerita laude Lysias fruitur. Etenim eo sublimior apparet ars, quo naturae videtur accommodatior. Neque tamen huic summisso sermoni desunt periodi figuris ornatae et maiore membrorum numero exstructae, sed rarius inveniuntur, neque sermonis est tam speciosa venustas quam tenuis quaedam et simplex gratia. Quid quod etiam ad ornatiorem elocutionem effertur, ubi orator studet re enarrata et argumentatione absoluta exponere, qualem deceat iudices sententiam ferre. Invenimus igitur periodos multifariam ornatas, ita tamen structas, ut praecedant et sequantur sententiae laxiore structura, non artibus oratoriis elaboratae, in quibus recitandis videmur audire non oratorem verba commode disponentem, sed privatum virum, qui tantum abest, ut propter affectum verba faciat, ut potius neglecta arte elocutus esse credatur. Hoc maxime a pu-

blicis differunt orationes in privatis causis habitae, quod qui in publicis dicunt, maiorem oratoriam gravitatem ostentant, cum privato viro liceat descendere ad sermonem quotidianum. Oratori in publica causa periodi maiore arte componendae sunt, quia necessario communes continent sententias multis auditoribus explicandas, in privatis autem causis id agit, ut iudicibus simpliciter res et argumenta explicet. Praeterea causa privata saepenumero postulat, ut accusator ipsum adversarium aggrediatur, ut eius verba proferat et refutet. Itaque talis orationis variae sunt formae, sic ut periodi nunc continuo tenore incedant, nunc laxius constructae velut disiungantur interiectis hic illic sententiis. Exemplo sit Ergocl. XXVIII, 1, iuxta XII, 27. In Ergoclea secundum membrum, cuius verba *ὥστε* cet. pendent a verbis *οὕτως* cet., primo membro statim adiunctum est, ut continua efficiatur membrorum coniunctio. Illa continuitas, cuius supra ex oratt. XXVII—XXXI exempla laudavimus, omnino Lysiae propria est in publicis causis. XII, 27 autem verba *ὡς αὐτῷ προσετάχθη*, quae cum praecedentibus *οὐδὲ τοῦτο εἰκὸς αὐτῷ πιστεύειν* coniungenda erant, ita sunt seiuncta interiectis *εἴπερ — ἀντειπεῖν*, ut continuitas interrupta sit. — Privatae igitur orationes maiorem exhibent varietatem. Exordia plerumque summa cura sunt elimata et sententias continent concinne et eleganter compositas. Itidem ubi res in universum exposuit, sententiae simplices certa ratione constructae et continuo tenore incedentes lectori se offerunt. Ubi vero narrat aut adversarios refutat, ubi sagaciter argumentando suam causam effert, relicta certa continuitate iussit laxiore nexu incedere sententias, dissimulat quidquid arte elaboratum videatur, omittit singulorum membrorum numeros et sententiis eam induit formam, quae sua sponte rebus se accommodabat. Neque offendimus in illa oratione, cuius singula membra unam amplissimam periodum praestant. Recte Dionysius

monet Lysiae artem in hoc potissimum cerni, quod quae soluta videantur revera coniuncta sint et cohaereant. Privatas igitur afferre licet hasce:

In Erathostenem XII, 1, 2, 70, 77, 93—94.
In Agoratum XIII, 34, 44—48.
In Theomnestum X, 22, 23, 24, 25, 27—29.

Omnes periodi ex privatis et publicis hucusque citatae ita sunt comparatae, ut duabus partibus aequabiliter et concinne exstructis componantur, partes autem aut singulis aut pluribus membris constent ita dispositis, ut prioribus numero respondeant posteriora. Applicata sunt his ornamenta orationis: contentiones, coniunctiones, repetitiones, membrorum clausulae similiter cadentes. Hae igitur periodi magis oratorem ostendunt eiusque proprietates quam actorem et iureconsultum. Disceptemus igitur nunc locos, quibus non continua, sed mutata et interupta saepenumero oratio continetur. Non igitur invenimus in tali sermone periodos continuo tenore incedentes, quoniam ipsa argumentationis natura postulat, ut plures sententiae interdum in unius periodi formam redigantur. Eandem ob causam argumentatio saepenumero praecipit, ut sententiae diversa structura componantur. Inde necessario tollitur in pluribus publicarum locis numerosa membrorum dispositio. Talibus igitur potissimum locis, qui ad narrationem aut ad argumentationem pertinent, ab ipsis rebus profectus, quidquid ad causam iuvandam potuit conferre, pluribus sententiis Lysias ita protulit, ut coniungenda assereret et apte colligaret. Sed continua argumentorum enumeratio passim interrumpitur adiectis hic illic et intercalatis sententiis, quae quam communem rationem sequantur, nequit definiri. Patet autem per se, prout necessitas postulat, in alia causa alias sententias adiici. Porro plerumque refutaturus adversarium argumenta propria solet orator opponere: quo gratam varietatem et eximiam in argumentis perspicuitatem efficit. Longa est sane

in iis orationibus, quae multa argumenta disceptant, ratio haec continuo usque ad finem orationis adhibita, sed nemo negaverit simplicissimam et perspicuam esse. Velut or. XIII, in qua argumenta deinceps plura disceptantur hoc modo:

49. *θαυμάζω δὲ ὅτι ποτὲ τολμήσει ἀπολογεῖσθαι κτέ.* sequiter refutatio.

52. *ἀλλ' ἴσως φήσει ἄκων τοσαῦτα κακὰ ἐργάσασθαι.* his opponuntur verba *ἐγὼ δ' οὐκ οἶμαι.* — 54. fin. — 55. *ἀκούω δ' αὐτόν κτέ*, sequente refutatione, itidem 70. *λέξει δέ κτέ.* 70—76. refutat. 77. *ἀκούω δ' αὐτὸν — ἀγώνισμα εἶναι.* 77—84. refutat. 85. *ἀκούω δ' αὐτὸν — ἐπιγέγραπται.* 85—87. fin. refutat. 88. *πυνθάνομαι δ' αὐτὸν — οἱ ἐνπειραιεῖ.* 88—90 refutat.

Laudemus igitur ad sermonem iudicialem illustrandum: Or. I. de caed. Erat. 37—42. Euphileti haecce sunt verba: *σκέψασθε δέ, ὦ ἄνδρες*, quae verba si in publica causa Lysiaca occurrunt, exspectes fore ut ex illo verbo pendeat aut accusativus aut tota periodus bipartito constructa, ut priore parte lecta possis concludere, quam structurae rationem altera sit initura. Verum non sequiter periodus, sed accusatorum argumentum additur: *κατηγοροῦσι — νεανίσκον*, cui tota sequens oratio *ἐγὼ δὲ κτέ.* opposita est. Itaque verba supra citata *σκέψασθε δέ, ὦ ἄνδρες*, pertinent ad §§ 37—42, interiecta autem sententia *κατηγοροῦσι — νεανίσκον* ab illis seiuncta sunt. Simpliciter refutasset hoc modo: aiunt ancillae me illa die mandasse, ut arcesseret iuvenem. — Ego vero, iudices, recte me facere putabam, quoquo modo uxoris corruptorem deprehenderem: *ἐγὼ δὲ ὦ ἄ., δίκαιον μὲν ἂν ποιεῖν ἡγούμην κτέ.* Illi *μέν* quid respondeat, non statim apparet; sequentibus enim (§ 38) ostendit, quare putet se recte facere, si uxoris corruptorem quoquo modo deprehendisset. Qua explicatione absoluta, § 39 illud *σκέψασθε*, quod § 37 posuerat, repetit: *σκέψασθε δὲ ὅτι καὶ ταῦτα ψεύδονται· ῥᾳδίως δὲ ἐκ τῶνδε γνώσεσθε.* Tum sequitur

usque ad § 42 finem argumentorum expositio, quibus opus est ad demonstrandum non mandasse Euphiletum ancillae illa die, ut arcesseret iuvenem. Cuius orationis si singula membra perlustramus, apparet verba § 37 *σκέψασθε δέ, ὦ ἄνδρες*, absolute posita esse. Sequitur accusatio: *κατηγοροῦσι γάρ μου, ὡς ἐγὼ τὴν θεράπειναν ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ μετελθεῖν ἐκέλευσα τὸν νεανίσκον.* Quae verba cum ex accusatoris oratione sumpta sint, non licet causam dicenti pro arbitrio eloqui, sed quo modo accusator dixerat. Itaque periodi exstruendae causa nihil mutat, sed verba simpliciter addit. Itidem ipsius Euphileti brevis est responsio: *ἐγὼ δέ ὦ ἄνδρες, δίκαιον μὲν ἂν ποιεῖν ἡγούμην, ᾡτινιοῦν τρόπῳ τὸν τὴν γυναῖκα τὴν ἐμὴν διαφθείραντα λαμβάνων.* Sequentibus sententiis orator persuadere vult Euphiletum ita dicentem recte dicere. Qua in re cum neque certis verbis sit obstrictus et iudices sint ipsi conciliandi, non spernit oratoriam sententiarum formam. § 38 sqq. Similiter or. VII, 34—38.

Idem illud *σκέψασθε* ut I, 37 et VII, 34 ita X, 11—13 fin. pluribus minoribus periodis est praepositum, quae alioquin in unius maioris periodi formam redactae essent. Praeterea Theomnesteae X § 20 specimen exhibet orationis solutae numerisque carentis. Hactenus de sententiis.

CAPUT II.
De ethopeia et venustate Lysiaca.

Dionysius cap. VII laudat *ἐνάργειαν* [23]) Lysiae. Hanc sic definit, ut sit *δύναμίς τις ὑπὸ τὰς αἰσθήσεις ἄγουσα τὰ λεγόμενα.* Iam siquis attente consideret Lysiae orationes, non adeo morosus aut hebes erit, ut ea quae dicuntur non suis oculis cernere et inter eas, quas in-

23) cfr. Quintil. 4, 2, 63; 6, 2, 29. — Long. de subl. 15, 2; 9.

duxerit orator, personas tamquam praesentes putet se versari, neque quidquam insuper requiret, opinans alios agere, alios pati, alios cogitare, alios loqui. Ita enim comparatus fuit Lysias, ut humanam naturam plane perspexerit et quid affectus graviores (*πάθη*), quid moderati (*ἤθη*) valeant felicissimo successu investigaverit[24]. *Ἐνάργεια* autem efficitur virtute quadam insigni, quam plerumque vocant *ἠθοποιΐαν*. Nulla enim est in concionibus Lysiacis persona, cuius mores[25]) non egregie describantur (*πρόσωπον οὐδὲν ἀνηθοποίητον*) quaeve sanguinis sit omnis expers (*ἄψυχον*). Elucet maxime tribus his, mente (*διανοίᾳ*), elocutione (*λέξει*), compositione (*συνθέσει*). In illa virtute Lysias summe elaboravit, in illa positum esse maximum affectum tum iam intellegebat, cum rhetoricis studiis vacabat[26]). Personae igitur Lysiacae non ea solum loquuntur, quae temporibus sunt apta (*ἐπιεικῆ καὶ μέτρια*), sed etiam ea, quae ipsorum moribus maxime conveniant[27]). Itaque personarum verba tamquam affectuum imagines videntur esse, neque in magna sententiarum varietate elocutio

---

24) Convenit cum *ἐναργείᾳ* dicendi ratio, qua orator gravibus quibusdam argumentis in adversarium quasi absentem prolatis, subito in eundem illum praesentem invehitur: *ἀποστροφή*. cf. Quint. 9, 2, 38. — Fingit etiam interrogationes et responsa, velut Theomn. accusator. §§. 6—7 exponit iudicibus, quid suis verbis Theomnestus possit opponere, 8—10 ipsum Theomnestum alloquitur, 10—12 iudices, 12—14 accusatum, 15 iudices, 16 Theomnestum, 19—32 iudices. XII et XIII: Enarratis qualia facinora Agoratus trigintaviris studens perpetraverit (§ 5—26) argumentorum gravitate motus accucator vehementer eum compellat (§ 26—28). Item (48) accerbo dolore excitatus Agoratum civium iniuste necatorum omniumque rerum adversarum auctorem compellans ipsum alloquitur.

25) Dionys. Lys. 8. — Quint. 3, 8, 51. — Rutil. Lup. 1, 21. —

26) Lysiam adolescentem instituisse exercitationes ethopoeiam spectantes tradidit Marcellinus ad Hermog. IV, 352: *εἰσὶ γάρ οἱ τοιοῦτοι τόποι γεγυμνασμένοι τῷ Λυσίᾳ ἐν ταῖς παρασκευαῖς. λέγει γάρ οἵους ἀπεργάζεται ἡ πενία καὶ οἵους τὸ πλουτεῖν καὶ ἡ νεότης καὶ τὸ γῆρας.* 27) Dionys. Dem. dic. vi 13; Din. 7.

omnibus est eadem, sed uniuscuiusque moribus et naturae accomodata. Idem de compositione dicendum est. Tam simpliciter autem et breviter mores videtur descripsisse, ut nil arcessitum inveniatur[28]. Huc pertinet, ut causam dicentes sententiis simplicibus res enarrent rerumque et factorum addant causas convenientes et quae veri similes appareant[29], ut desint figurae *διανοίας*, ut careat oratio splendente ornatu rhetorico, sed simplicem veritatem personae proferant. Recte fecit Lysias[30], quod non continuis periodis, sed liberiore oratione mores agentium descripsit. Ut paucis igitur comprehendat, nescire se dicit Dionysius an ullus orator iucundius Lysia composuerit. Compositionis enim habitum non videri profectum esse ab arte, sed a natura, neque ferendam esse grammaticorum levitatem, qui obiter legentes putent singula ita posita esse, prout casus tulerit. Suavitatem et venustatem virtutes a Lysia magno labore effectas esse. Incomposite quidem eum dicere videri, sed in eo ipso esse compositum et gravem se praestare, quod gravitatis speciem repudiaverit[31]. Artis Lysiacae igitur tanta est subtilitas, ut ars plane remota esse videatur. Eandem fere sententiam de compositione tenuis oratoris Cic. or. 77 sq. protulit: Non oratione eum uti figuris aut numeris ornata, ita tamen, ut ingredi libere, non licenter videatur errare. — Neque aliter sentit Quint. 9, 4, 16: Non illud in Lysia dicendi textum tenue atque rasum laetioribus numeris corrumpendum erat; perdidisset enim fidem et gratiam, quae in eo maxima est simplicis atque inaffectati coloris.

---

28) Dion. Lys. 8.

29) Hermog. *π. ἰδ.* II, 350. *ἦθος ἐν λόγῳ ποιεῖ ἐπιείκεια καὶ ἀφέλεια.*

30) Dion. Isae. 3, 18. — Hermog. p. 381. — Quint. 2, 17, 6.

31) Hermog. *π. ἰδ.* III 380 et 382: gravitatem tenuis oratoris dicit *δεινότητα κατὰ μέθοδον.* — Dio Chrysost. or. 18: *ἄριστος ὁ Λυσίας τῷ λεληθέναι τὴν δεινότητα.* Dion. Dem. dic. v. 2, 13. — Quint. 9, 4, 17. Cic. or. 83 sq. —

Cum veritate in ethopoeia coniunctus est decor *τὸ πρέπον*), quo Lysias non minus ceteris oratoribus excellit. Hanc virtutem Dionysius omnium optimam dicit et perfectissimam[32]). Decorum enim apparet passim et in dicentibus et in rebus et audientibus, quia suas cuique aetati et generi et vitae voces attribuit. Aliud coram iudicibus est decorum, aliud in concione, aliud in panegyri. In exordiis oratio est[33]) constans et morata (*καθεστηκυῖα καὶ ἠθική*), in narratione persuadet neque tamen est exquisita (*πιθανὴ καὶ ἀπερίεργος*), in demonstratione rotunda et argute brevis (*στρογγύλη καὶ πυκνή*), in agendo et perorando gravis et vera (*σεμνὴ καὶ ἀληθινή*), in fine dissoluta et concisa (*διαλελυμένη καὶ σύντομος*). Lysias autem non ita persuadet, ut raptim auditorum animos auferat; illud enim non convenit subtili ethopoeiae, potius cum moderatos solum moveat affectus, progrediens paullatim auditorum comprobationem sensim quasi furatur[34]). Quanti vero duxerint illam Lysiae virtutem veteres, Dionysii verba ostendunt (Lys. 10): *καὶ οὐδείς ἐστιν, ὅστις οὐχὶ καὶ πείρᾳ καὶ ἀκοῇ μαθὼν ὁμολογεῖ, πάντων ῥητόρων αὐτὸν εἶναι πιθανώτατον.* Idem tradidit Plutarchus, qui bis tantum Lysiam in permagno iudicialium orationum numero rem male gessisse adnotat.

---

32) Dionys. Lys. 9, 13; Dem. dic. v. 13. — Photius: *τὸ ἐν πάσῃ τῇ περίοδῳ τῶν κώλων εὐάρμοστον.*

33) Dionys. Lys. 10.

34) Recte Dionys. de Dem. dic. v. 2: *τὸ ἀπατῆσαι καὶ κλέψαι τὰ πράγματα τῆς Λυσίου λέξεως ἴδιον.* Isae. 4: exponit, si oratorum legamus scriptas orationes, Lysiam et Isocratem fere semper coram nobis iudicibus victores discedere i. e. probari, etiamsi illorum causa male se habeat, contra Isaeum et Demosthenem vel in iustissima causa suscipionem movere, ne rhetoricis artibus decipere nos conentur. Illis enim, quia ornato sermone utuntur, diffidimus, quoniam plerumque censemus, veram orationem brevem esse eandemque ob causam Lysiae et Isocrati vel in peiore causa favemus. — Itidem Hermogenes *π. ἰδ.* II, 410 Lysiam *πιθανώτατον* laudat.

Denique Dionysius[35]) laudat virtutem praeter ceteras Lysiae propriam. Plurimos enim posteriores operam dedisse, ut eam imitarentur neque tamen cuiquam imitationem bene successisse. Iam quae est illa virtus? Dionysius ita: Res admiranda, quae verbis nequit definiri, sed facillime cernitur, quae aequo modo indoctis ac doctis nota est, quae difficillime oratione significatur ac ne a disertissimis quidem apte potest describi. Illa *εὐστομία* Lysiaca est ea gratia, quam in corporibus dicimus *ὥραν*, in musica arte *τὸ εὐάρμοστον*, in numeris *τὸ εὔρυθμον* vel *τάξιν*, omnino ea gratia, quae posita est in rerum *καιρῷ* vel *μετρίῳ*. Illam qui sunt intellecturi necesse est assidua lectione sensum, quo pulchrum et venustum percipimus, exerceant eodem modo, quo qui musicae arti student, adsuescunt ne minimam quidem in concentu dissonantiam ignorare[36]). Illa virtus maxime prodit oratoris sive indolem nativam sive arte ac labore eam consecutus est. Deinde Dionysius venustati, quo nomine *χάριν* significemus, tantam tribuit vim, ut quae orationes ceteris virtutibus Lysia videantur dignae, gratia vero et venustate careant, eas censeat spurias neque a Lysia scriptas. Ait enim fere haec: non est difficile, id quod assequi possunt, quicunque Lysiae elocutioni cognoscendae dant operam, certae elocutionis norma convenienter, sed

---

35) Dionys. Lys. 10—13. — Longin. de subl. 34, 2.

36) *χάριν* Lysiacam uno ore laudant Graeci et Romani. Cic. or. 9, 29: dicat igitur attice venustissimus ille scriptor ac politissimus Lysias. quis enim id possit negare? Similiter Quintil. 9, 4, 17; 12, 10, 24: gratia simplicis atque inaffectati coloris. — Cic. Brut. 35: egregie subtilis atque elegans. 285: ieiunitas polita, urbana, elegans. — or. 78: nam ut mulieres esse dicuntur nonnullae inornatae, quas id ipsum deceat, sic haec subtilis oratio etiam incompta delectat. Idem Cic. or. 90. Dion. Isae. 3: *ἡδονῇ τε καὶ χάριτι πολλῇ κέχρηται* (*ὁ Λυσίας*). 18: *ὁ Λυσίας δοκεῖ μοι στοχάζεσθαι τοῦ χαριέντως τὴν ἀλήθειαν διώκειν.* 20: *ἡγοῦμαι οὐδένα οὔτε ἀκριβέστερον οὔτε χαριέστερον γεγονέναι Λυσίου.* Similia vett. cens. V 1. Isocr. 11. — Plut. de garrul. 5: *σκόπει τὴν Λυσίου πειθὼ καὶ χάριν κἀκεῖνον γὰρ ἐγώ φαμι ἰοπλοκάμων Μοισᾶν εὖ λαχεῖν.*

liberiore imitatione Lysiace scripsisse. Itaque quae orationes venustate carent, eae non sunt genuinae putandae.

Veteres rhetores πάθος et ἦθος ita distinguunt, ut ἤθους nomine significent moderatos et mites, πάθους graviores animi affectus. Ut gravis oratio auditorum πάθη concitat, ita moderata ἤθη. Iam cum actoris in iudicio ea omni tempore fuerit summa virtus, ut moderato sermone iudicum animos sibi conciliaret, apparet necessario Lysiam magis ethopoeiae quam pathopoeiae studuisse itaque favente Minerva id genus orationum sibi tractandum elegisse, quod ipsius naturae et ingenio maxime conveniebat. Egregie igitur Lysias ἠθοποιεῖ, contra alii, velut Demosthenes παθοποιοῦσιν. Decore autem in ethopoeia efficitur elocutionis et compositionis periodorum ille color, quo personae singulae et verbis, quibus utuntur, et narrandi et argumentandi ratione accurate describuntur. Huc accedit, ut libere incedat oratio. Itaque in causulis istis invenias demonstrationem, quae comicis aliquoties facetiis splendet.

Sed ne Lysiacum sermonem et praecipue ethopoeiam nimia laude videamur prosequi, enumeremus etiam eas virtutes, quibus minus excellit. Caret igitur Lysias granditate, quia naturae simplicem candorem et sinceritatem studebat depingere; ne or. XII quidem in Eratosthenem habita grandi se applicuit sermoni. Unde nobis persuasum est oratoris ingenium ita fuisse institutum, ut nollet aut nequiret granditatis ornatu incedere. Itaque tenuis est sermo, carens vi et acerbitate Demosthenica[37]), non aliter quam Antipho, Andocides, Isocra-

37) Hermog, π. ἰδ. II. p. 395. et Dionys. Dem. dic. v. 13. censent Demosthenem in eis orationibus, quibus Lysiam imitatus est, ita esse imitatum, ut vi et acerbitate eum superaverit. Neque refutatur haec sententia Ciceronis loco, qui Brut. 64 iudicat saepe in Lysia esse lacertos, sicut fieri nil possit valentius. Idem de opt. gen. orat.: Lysias multis locis est grandior. — Granditatis enim Lysiacae

tes, Isaeus. Denique non concitat Lysias auditores gravioribus affectibus, nec movet vehementer iram, indignationem, misericordiam, admirationem (Dionys. Lys. 13, 19). Attamen occurrunt Lysiacas orationes legentibus hic illic loci, qui amplificationum numero habendi sunt. Talis autem est illarum natura, ut ethopoeia poscente videantur additae esse. Non enim fugit oratorum lectione accurata perfunctum, Lysiam a reliquis mirum quantum differere abstinentia in amplificando. Iam contenditur non immerito graves affectus postulare gravem elocutionem. Itaque Lysias in perorationibus, ubi amplificando auditores erant conciliandi, raro suae causae profuit, velut XII, 100.

Ethopoeia igitur orationibus superstitibus ea videtur esse, de qua Cicero (or. 6,20): in tenui, inquit, genere alii sunt callidi, sed impoliti et consulto rudium similes et imperitorum. Similia Quintil. 3, 8, 51: Lysias optime in eis, quae scribebat indoctis, videtur servasse veritatis fidem, 9, 4, 17: Lysias scribebat aliis, non ipse dicebat, ut oportuerit esse illa rudibus et incompositis similia, quod ipsum compositio est. — Quas sententias ita intellegimus, ut statuamus Lysiam non tam dedisse operam, ut variaret orationem pro dicentium moribus, quam ut dicentibus innocentiae speciem conciliaret. Recte enim videbat, in qua civitate iudices ex omnibus ordinibus sorte legebantur, in ea oratori nil antiquius habendum esse quam ut iudicum animos conciliaret. Itaque Lysiae personae res suas proferunt interdum tam ingenue et simpliciter, ut paene bardi videantur et fatui. Quam speciem propterea dicentibus solebat orator

---

iam addidimus exempla, quae quamvis grandia sint dicenda, tamen illi tenuitati illique moderationi sunt obstricta, ut Demosthenis vim nequaquam videantur aequare. Isocratem vero in hac re vel Lysia esse inferiorem notum est, quoniam e prioribus oratoribus maxime studuit modum et temperantiam coniungere cum granditate, quae posteriorum affectuosae gravitati paene opposita est. —

iniungere, quod compertum habebat stupidum et simplicem hominem facilius invenire assensum quam exercitatum et versutum et coram iudicibus Atheniensium plurimum valere illud: *ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ.* Ceterum elegantissima plerumque apparet ethopoeia in narratione.

Or. I. Maritum orator repraesentat et herum virili gravitate de adulterio verba facientem, quod commiserat Eratosthenes iuvenis cum uxore accusati. Depingit, quantam suspicionem de uxore anus quaedam sibi moverit § 17: *ἐγὼ εὐθέως ἐταραττόμην καὶ πάντα μου εἰς τὴν γνώμην εἰσῄει καὶ μεστὸς ἦν ὑποψίας ..... ταῦτά μου πάντα εἰς τὴν γνώμην εἰσῄει, καὶ μεστὸς ἦν ὑποψίας.* — Itidem tota sequens narratio hero gravi convenit, observamus verba ipsa colloquentium citari §§ 12, 16. § 18: *σοὶ οὖν — πάντα τἀληθῆ λέγει,* 21: *ὅπως τοίνυν — εἴπερ οὕτως ἔχει.* 26: *οὐκ ἐγώ σ' ἀποκτενῶ, ἀλλ' ὁ τῆς πόλεως νόμος.* —

Similiter Theomn. (X), 15 accusator non refutari posse suam sententiam pro concesso sumit: *ἐγὼ ὑμᾶς πάντας ἡγοῦμαι εἰδέναι, ὅτι ἐγὼ μὲν ὀρθῶς λέγω, τοῦτον δὲ οὕτω σκαιὸν εἶναι, ὥστε οὐ δύνασθαι μαθεῖν τὰ λεγόμενα.* Vult igitur probari suam sententiam a iudicibus. Itaque dicit: „puto omnes vos scire“, ut dubitantes adhuc sibi conciliet.

Oratione VII., quae specimen est egregium ethopoeiae perfectae, nullum verbum videtur ex arte petitum; agricola mirum quantum ingenuus § 12, „ego, inquit, quotquot sollertem me dicerent esse et cautum et circumspectum neque quidquam temere agentem, iis succensebam.“ Quae verba satis stolida addit, tamquam affirmandum sit ea, quae ante non fuerint, postea excidi potuisse. Ceterum non magno opere differunt ab illius agricolae sermone claudi senis or XXIV. verba, quae quamvis iocularia exhibeant plura, tamen non putandum est nugas oratorem coram iudicibus agere

voluisse, quoniam et parum decuisset gravitatem forensem et satis notum est Athenienses ad facetias animadvertendas fuisse acutissimos[38]). Poterat igitur pluribus eiusmodi iocis adspergere orationem. Sed illa oratione scurrilia verba non tam Lysiae nugatori videntur attribuenda esse quam prosperum eventum consectaturo. Ita § 1: *οὐ πολλοῦ δέω χάριν ἔχειν τῷ κατηγόρῳ, ὅτι μοι παρεσκεύασε τὸν ἀγῶνα τουτονί.* — *διά γὰρ οὐδὲν ἄλλο μοι δοκεῖ παρασκευάσαι τόνδε μοι τὸν κίνδυνον οὗτος ἢ διά φθόνον.* — § 11: *ὃ δὲ μέγιστον τεκμήριον, ὅτι διὰ τὴν συμφοράν, ἀλλ' οὐ διὰ τὴν ὕβριν ἐπὶ τοὺς ἵππους ἀναβαίνω, εἰ γὰρ ἐκεκτήμην οὐσίαν, ἐπ' ἀστράβης ἂν ὠχούμην, ἀλλ' οὐκ ἐπὶ τοὺς ἀλλοτρίους ἵππους ἀνέβαινον.* — § 13. § 18. § 21—26 fin.

Non magno opere differt Mantithei or XVI. modestia a pietate orat XIX. dicentis. Mantitheus § 11 in re publica gravissimum suae continentiae documentum laudat, quod neque alea neque compotationibus neque aliis eiusmodi frivolis ac despiciendis oblectamentis tempus terat neque etiam consuetudinem sibi esse eorum, qui ita intemperanti lasciviae se dedant; ab illis ipsis malos de se rumores spargi. — § 20 excusat se, quod adolescens publice dicere ausus sit cum §§ 2 et 15 superbo ore loquatur: *ὕστερον ἀνεχώρησα τοῦ σεμνοῦ Στειριέως τοῦ πᾶσιν ἀνθρώποις δειλίαν ὠνειδικότος.*

Summissa et modesta Mantithei verba non multum differunt a sermone or. XIX, §§ 5, 45, 53, 58. Verba enim sunt simplicissima, ne dicamus ea, quae fatuo ac bardo conveniant, et saepe legentibus excitatur quaestio, num Atheniensibus talis oratio potuerit probabilis videri.

Ut oratione III in Simonem et X in Theomnestum ita orr. XXIV et XXX dicentes hac re causae suae student prodesse, ut querantur de adversariorum im-

38) Huc pertinet Demetr. *π. ἑρμην.* p. 128: *εὐτελεῖς καὶ κωμικώτεραι (χάριτες), οἷον αἱ Ἀριστοτέλους χάριτες καὶ Σώφρονος καὶ Λυσίου.* — Cic. or. 90: Lysias satis facetus.

pudentia, qui ad eam pervenerint audaciam et temeritatem, ut soli omnibus persuadere conentur. Vel dicunt sanae mentis neminem ne posse quidem aliter sentire quam ipsi sentiant. Talibus igitur artibus furtim iudicum captat benevolentiam, quamvis plerumque non possit evidenter demonstrari, omnes qui iudices assideant, probare dicentis opinionem, quoniam possunt inveniri, qui adsentiantur adversario. Ita orr. XXIV, 13: *τοσοῦτον δὲ — ὥστε ὑμᾶς πειρᾶται πείθειν, τοσούτους ὄντας εἷς ὤν, ὡς οὐκ εἰμὶ τῶν ἀδυνάτων ἐγώ.* — Idem §. 14 captat benevolentiam iudicum.

Or. XXX accusator Philonis culpam studet amplificare hoc modo: *σχέθλιον ἂν εἴη, εἰ οὗτος μὲν ἅπαντας τοὺς πολίτας περὶ οὐδενὸς ἡγήσατο, ὑμεῖς δὲ τοῦτον, ἕνα ὄντα, μὴ ἀποδοκιμάσαιτε.*

In Agoratea accusator fungitur partibus viri nobilis patriaeque amantis, quapropter in depingenda Agorati nequitia maxime elucent accusantis mores. Talibus locis cum graviores affectus concitentur ad altiorem solito dictionem aufertur oratio, velut §. 43—48. Elegantissime §. 39—43 nobilium civium, antequam mortis supplicio afficerentur, depingit ultima cum propinquis colloquia; narrat exempli gratia Dionysiodorum Dionysio fratri sibique mandasse, ut Agoratum ulciscerentur, et uxorem, quam suspicatus esset utero gerere ex se, adhortatum esse, ut, si marem peperisset, eum adultum faceret certiorem de patris per Agoratum interitu impelleretque ad Agoratum ulciscendum. Odium in Agoratum §§. 33 sqq. 91. 93 sqq. 97 maxime elucet.

Similis est or. XII. ethopoeia, qua Lysias ipse apparet rei publicae studiosissimus, patriae amantissimus, triginta viris inimicissimus, odio praecipue Eratosthenis flagrans, qui Polemarchum, Lysiae fratrem, in vincula coniecerat, veneno interfecerat eiusque bona publicaverat. In tam gravibus rebus tota paene narratio admiranda quadam temperantia et concisa brevitate excellit, pluri-

bus autem locis surgunt affectus ad eam granditatem, quam maximam dicas in Lysiae tenuitate. §. 1: *οὐκ ἄρξασθαί μοι — παύσασθαι λέγοντι.*

Ut or. I. Lysias gravia verba hero convenientia attribuit dicenti, ita XII, 14 ipse periculis circumventus verba et sententias eloquitur, quae apte consternationem significent et timorem subito sine iusta causa prehensi et abducti: ‚*ἐπιτήδειος μέν μοι τυγχάνεις ὤν,* | *ἥκω δ' εἰς τὴν σὴν οἰκίαν,* | *ἀδικῶ δ' οὐδέν,* | *χρημάτων δ' ἕνεκα ἀπόλλυμαι,* | *σύ οὖν ταῦτα πάσχοντί μοι πρόθυμον παράσχου τὴν σεαυτοῦ δύναμιν εἰς τὴν ἐμὴν σωτηρίαν.*‘ | — §. 26. — §. 32—36. — §. 37: accusaturum se, quoad iudices intellexissent Erathosthenem mortis supplicio esse afficiendum. Illud enim extremum esse suppliciorum, quae possint a criminosis repeti, tam enormia autem scelera triginta virorum, ut non videantur nimias poenas daturi esse, etiamsi singula quaeque scelera, si fieri posset, binis mortibus luerent. (Similiter Agor. 91). §. 81 sqq. 92—93. 94. 99. 100.

Etiam ultima § 100 verba civem produnt fratris turpiter occisi memorem, ita autem sunt comparata, ut totius orationis exhibeant breve compendium, cui adhibita asyndeti figura vis et gravitas singularis attribuitur, neque superbius neque oratorie censemus eum dicere *ἑωράκατε, πεπόνθατε.* Tota enim oratio ea utitur veritatis specie, ut nobis quidem persuasum sit iudices cum oratore vidisse, cum oratore passos esse. —

Dionysius de Lys. cap. 20 sqq. maximam partem citat orationis in Diogitonem habitae, quae excellit praestantissima ethopoeia. Intellegimus inde, quantam iacturam deperditis aliis Lysiae orationibus videamur passi esse neque nimia laude a Dyonisio Lysiae ethopoeiam elatam esse. Elucet e tota oratione dicentis simplex probitas et nobilis indignatio, depingitur patrui spurcissima avaritia, qua motus pupillorum rem perdidit sibique furatus est, depingitur matris studium et amor libe-

rorum, quo excitata facit in Diogitonem gravia verba. Etiam hac oratione accusator non gravioribus utitur affectibus ad iudices conciliandos, sed moderatis quique efficiant, ut auditores ad verba sua benigne attendant animos. Ita § 18 finita matris oratione non aufertur ad dictionem graviorem et irae et spiritus plenam, non pestem precatur Diogitoni, sed omnium, qui aderant, depingit tristitiam et maerorem, narratque omnes Diodoti mortui memores, patefacta Diogitonis nequitia, lacrimis obortis discessisse. Quae narratio Lysiacae artis exhibet luculentissimum specimen. Itidem matris oratio magna laude est digna; duris enim patrui verbis § 9 opponitur sincerus matris amor summa pietate Diodoti memoriam mactantis et Diogitonis nequitiam sordidam patefacientis. Quae oratio § 12—17 fin. adeo est insignis simplicitate et veritate et decore, ut ex superstitibus censeamus eam elegantissimam et venustissimam exceptis oratt. XII et XIII. Est enim in narrando demonstratio, quam actoris in scena ore dignam censeas, sententiae autem tam perspicue structae eaque verborum elocutio, ut matris nobilem sensum apte ostendant.

VITA.

Georgius ego Henricus Gabriel Carel natus sum Hamburgi die XXI m. Augusti anno huius saeculi XXXXVIII patre Joanne Baptista Amato Gabriele Carel, Francogallo, qui illo eodem anno in Germaniam commigraverat, matre Friderica, gentis Preissianae prole. Quorum ille cum ante hos XX annos Berolini viderit diem supremum matre superstite gaudeo. Fidei adscriptus sum evangelicae. Litterarum rudimentis defunctum recepit Eduardus Bonnell anno h. s. LXII inter discipulos gymnasii Friderico-Werderani Berolinensis. Unde ante hos VI annos primus omnium, maturitatis testimonio instructus, dimissus sum. Per IV deinde annos philologis studiis operam navavi in Universitate literaria Berolinensi scholisque interfui horum virorum doctissimorum: Althaus, Bonitz, Diterici, Droysen, Haupt, Hübner; Kiepert, Kirchhoff, Lepsius, Märker, Mommsen, Müllenhoff, Steinthal, Trendelenburg, Werder, quorum omnium memoriam semper pio gratoque colam animo.



THESES.

I.

Terent. Eun. 589—590 ita scribendos propono:

. . . . ac per alienas tegulas
Venisse clanculum per impluvium fucum factum mulieri.

II.

Ibid. 936 non est eiciendus, si ita scribis:
Quae cum amatore cum cenant ligurriunt.

III.

Aristoph. Av. 16 Meineckius iniuria delevit, siquidem scribere licet:

τὸν ἔποφ᾽, ὃς ὄρνις ἐγένετ᾽ ἐξ ἀνδρός ποτε
sive: *τὸν ἔποφ᾽, ὅς ὄρνις ἐγένετ᾽ ἄνθρωπος ποτ᾽ ὤν.*

IV.

Ibidem Av. vv. 724—726 nego spurios esse, sed scribendos:

ἕξετε χρῆσθαι μάντεσι μούσαις
αὔραισι θέρους χειμῶνι θέρει
μετρίῳ πνίγει
κοὐκ ἀποδράντες κτέ.

V.

Lygdamus poeta in elegiis et Albii Tibulli et Ovidii Nasonis carmina elegiaca imitatus est.

TYPIS EXPRESSIT A. W. SCHADE (L. SCHADE) BEROLINENSIS.


LIBRARY OF CONGRESS
0 003 041 382 9